

Q.K.367.31.

45

II n  
397

429


AUSPICE DEO  
**MARCUS LIVIUS**  
**DRUSUS**  
TRIB. PLEBIS,  
DIE XXVII. AUGUSTI M. DC. LXXIX.  
SUB MODERAMINE  
DN.

L. ADAMI Redenberg / P. P.  
IN CATHEDRAM PRODUCTUS

CHRIST. GOTHOFR. Grandenstein/  
Lips.  
A. & R.

---

LIPSIÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHOLVINI.



VIRO  
NOBILISSIMO AMPLIS-  
SIMO ET CONSUL-  
TISSIMO  
**DN. ADRIANO  
STEGERO,**  
LIPSIAE  
ORDINIS ÆDILITII, ET AB  
UNIVERSA REDITUUM  
CURA,  
<sup>de</sup>  
**Urbe patria meritissimo, Susce-  
ptori qvondam suo æstuma-  
tissimo,**  
**PATRONO OPTIMO MAXIMO**  
<sup>d.</sup>  
**A U T O R.**  
**CHR. GOTHOFR. Grandenstein.**





## VIR AMPLISSIME

**S**i munusq[ue] reretur,  
q[uo]d condigne gratitudinem  
meam exprimeret, frustra sa-  
nè ad hanc dissertationem re-  
currerem, q[ua]e & ipsa benignè  
excepta, tot, q[ui]ibus TIBI ob-  
strictus sum, nominibus accedet, tantum ab-  
est, ut aliquaque me parte levet debiti, q[uo]d ean-  
dem ferè mecum nativitatis horam agnoscit.  
Primo enim vitæ mæ exordio TE potissimum  
Beatoque D. Ittigio benignam tam pio &  
salutari officio operam commodante, in com-  
mune Christianorum nomen receptus sum.  
Creverunt exinde cum annis beneficia, q[ua]e  
æq[ual]i me nexu utriq[ue] devincirent.

Et

Et illum qvidem placida senectus facilis  
morte exsolvit, Subductumque est oculis  
corpus qvidem & gratissimus Optimi Viri  
conspctus: nec tamen vitae bene actae glo-  
ria, quam non eodem quo annos spatio di-  
vina definivit benignitas. Vivit enim adhuc &  
viget, felicemque suorum Filiis in singulas ferè  
facultates propagavit memoriam, ut totus  
jam in immortalitatem promineat. Cæterum  
quo patientius tantam jacturam ferrem, Tua  
effecit benignitas, quædem mortui locum tam  
dextrè supplevit, ut eum ferè mihi ereptum  
non senserim.

Magnitudinem beneficiorum, quæ dehinc  
ultra votorum propè modum in me nostram-  
que contulisti familiam, silentio melius tegam,  
quam impari facundia deteram. Parcā ita mo-  
destiæ Tuæ, quæ magnò animò rectè factorum  
fructum non in fama, sed in conscientia repo-  
nere solet, parcā & pudori meo. De cætero  
causas tam audacis consilii, ut TIBI potissi-  
mum primitias studiorum meorum suspende-  
rem, haec tenus obiter perstrinxisse sufficiat.  
Patere ergo, VIR CONSULTISSIME,  
tuum



r,  
m  
a-  
e-  
nè  
b-  
p-  
n-  
&-  
a-  
e  
t



Tuum Nomen hisce paginis præfigi, ut qvæ  
proprio destituuntur splendore, aliquem sal-  
tem ex tanti Nominis dignitate mutuentur.  
Accipe porrectō & placidō vultu, hoc qvale-  
cunqve munus, nec qvicqvam in æstima-  
tione ejus, præter offerentis animum in con-  
silio habeas. Revoca nobis prisci illius can-  
doris exemplum, qvi ne phialam qvidem  
aqvæ simplici ac piâ mente oblatam fastidi-  
re sustinuit. Hoc si, ut Tua fere æqvanimitas  
mihi promptum ac obvium fore spondet, con-  
secutus fuero, non est, qvod ulterius optem,  
nisi, ut TE, VIR AMPLISSIME, DEus  
Reipubl. & Tuis, & mihi servet qvàm diu-  
tissimè. Vale.

Ut

qvæ  
sal-  
tur.  
ale-  
na-  
on-  
an-  
em  
zidi-  
itas  
on-  
em,  
Eus  
liu-



**V**tin cuiusvis imperii recenti structura, tres causæ primarias sibi partes desumunt, Deus, prudentia & occasio, qvæ omnes conjunctim fatum appellantur. *Campanella de Monarch. Hispan. c. I.* Ita ubi jam in summum fastigium præfixumqve à divina providentia incrementis suis terminum excrevit, repente eadem destruendæ molitanto hactenus studio compactæ manus admodum cernuntur. Nec raro ad ultimum periculum ipsasqve prope Orci fauces deductam eripere rursus, prioriqve reddere fastigio. Nec enim ullam quietem rebus humanis natura indulxit, qvæ cùm ad summum perfectionis gradum evectæ sunt, hoc ipso quod quo ulterius progrediantur non habeant, ut de priori culmine descendant necesse est. Cumqve per malâ intestina ad extremam perductæ sunt tristitiam, nec ullus est ulterioribus decrementis locus, ut salire rursus incipient ordo naturalis requirit. *Macchiavell. hist. Flor. l. 5. princ.* Causas horum eventuum si accuratius executiamus, præ-

ter æternam divinæ providentiæ legem, qvam  
in fundamentum reliqvis omnibus substerni-  
mus, ex civilibus rationibus ita rerum ordi-  
nem cum Macchiavello deducere possumus.  
In prima reipublicæ ætate & qvasi infantia ipsa  
necessitas viriumqve tenuitas vel renitentes ci-  
ves ad honestatem excolendam vitamqve pro  
communis patriæ salute impigrè exponen-  
dam impellit, & qvousqve hic animorum ha-  
bitus durat, nunqva fere felix successus con-  
silia, nondum privatis affectibus obnoxia de-  
stituet. Cæterum qvum jam sic satis se extolle-  
re cœperunt, nec pœnitent tentatarum non in-  
feliciter virium; Fortunæ, qvam orientem fa-  
tis moderate tulerunt, ad ultimum magnitudi-  
nem non capiunt. Unde ocii libido hincqve  
non interrupta serie, morum corruptela tur-  
bæqve intestinæ descendunt. Qvarum origi-  
nem partim naturæ humanæ assignamus, qvæ  
nisi honestis negotiis distineatur, nimis facile  
ad prava deflectit, partim colluvie nefariæ ho-  
minum, qvæ cùm haec tenus bellis externis in-  
noxium civitati suæ furorem in hostium capi-  
ta effudisset, verso jam rerum statu, quietis im-  
patiens & ad civilem se vitam componere ne-  
scia, deficientibus exteris conceptam rabiem  
in

in ipsum Reipublicæ statum expromit. Effer-  
vescentibus malis internis non deesse solent  
exteri, qvi in afflictæ Reipublicæ calamitatibus  
suum scrutentur commodum. Donec tandem  
civitatem tot undiq; malis conflictatam, ipsa  
ingruentium calamitatum magnitudo suo vi-  
gori, qvi hactenus otio desidiaq; pressus, lan-  
gauerat, restituat. *Machiavell. hist. Flor. l. 5. princ. &*  
*dell. asino d'oro. c. 5. v. 95.* In nullo tamen imperio  
clariora hujus revolutionis vestigia exta-  
re arbitror, qvām in Romano. In prima  
enim ætate Regibus subiecta erat civitas, cui  
totius fere orbis imperium divina providentia  
destinaverat, majore tamen libertatis umbra  
regebatur, qvām pleræq; gentes, qvæ regiam  
potestate madgnoscabant, ut hac occasione  
seductus *Boccalini in Tac. A. k. I. t. I.* non aliam qvām  
ducis bellici autoritatem Romulo adstruxerit,  
omnemq; vim ac plenitudinem potestatis in  
Senatum populumq; rejecerit, cui tamen qvæ  
opponi possint, vide in *Dn. Pufendorfi Dissertatione de*  
*forma Reipublicæ Romanae §. 2. & seqv.* Inde cum super-  
ba Tarquinii crudelitas laxioribus habenis  
assuetos nimis constringeret, excusso Regio ju-  
go, qvod superbia & inhumanitas ultimi in  
communem omnium execrationem deduxe-

rat, liberiorem vivendi formam instituerunt,  
consueto omnibus civitatibus more, qvæ re-  
centem amplexæ sunt libertatem. *Machiavell.* *De  
discorsi l. 1. c. 2.* In recenti hujus Reipublicæ stru-  
ctura omnium fere studia æquali fervore in pu-  
blico bono promovendo concurrebant. For-  
titudo prudentiæ conjuncta, & ad diversissimas  
res parendum atq; imparendum habilia inge-  
nia *v. les œuvres diverses de M. de Balzac. disc. I.* invictam  
à vi externa reddebat Rempublicam. His ad-  
miniculis iustificata, adjacentium nationum di-  
scordias in suam utilitatē prudenter convertit,  
in hoc præsertim intenta, ut si belligerandi ne-  
cessitas imponeretur, repellere potius qvam  
inferre arma, illatasq;ve injurias justo pioq;ve  
bello prosequi videretur, & cum intus summa  
dominandi cupiditate flagraret, præferret ani-  
mum hinc alienissimum propriæq; tantum li-  
bertati conservandæ intentū. Exinde devictis  
civitatē benigne communicando, *GRUTER.*  
*in Liv. l. 1. c. II. Fr. Baconus serm. fidel. c. 29.* debilioresq;ve  
in societatem armorum reservato tamen sibi  
supremo dirigendi jure, ad scilicet *Machiavell.*  
*discurs. l. 2. c. 4.* in tantam magnitudinem excre-  
vit, ut universam Italiam ad colendam comi-  
ter Majestatem Romanam adigeret. Punicis  
dein-

deinde bellis ulterius extendere vires suas cœpit. Et ex primo quidem non levia victoriæ præmia Siciliam Sardiniamque editioni suæ adiecit. Sed ex tanto eā fastigio Cannensis clades detraxit, quæ effectum, ut magna pars populorum Italiæ fortunæ ductum secuta victoris imperium adgnosceret. Tantæ tamen cladi sic disponente divina Majestate ereptæ, ingenti celeritate florentissimam orbis partem (universum enim nunquam in Romana jura transgressum, docet *Dn. Conring. de Imp. Rom. Germ. c. 2.*) imperio suo complectebatur, cum approperante fatali hora, Respublica, quæ omnes exterorum bellorum tumultus superbe despexit, turbis intestinis eo redacta est, ut illa ipsa terrarum Dei gentiumque Roma in turpissimā Cæsarum servitutem abstraheretur. Translata deinde regni sede à Constantino jam penitus ob freqventes barbarorū in Italiā irruptiones actū videbatur de imperio Romano, cum Deus excivit Carolum Francorum Regem, cuius præclara virtus Magni cognomen apud posteros vindicavit, qui excusso, quod cervicibus hærebat, Longobardorum jugo, tenuis illas magnæ fortunæ reliquias suæ dignitati asseruit, inque navatæ operæ præmium hujus impe-

imperii nomen cum quibusdam in Romam &  
Italiam iuribus prout ipse acceperat, ad suam  
transmisit posteritatē. *Conring. de Imperio Rom. Germ. c.*  
7. Exinde ad Germanos & per varias successio-  
nes ad Austriacorum stirpem devolutum est,  
jamq; tot casibus defunctum & post excidium  
iterum renatum sub tutela auspiciisq; ve Sere-  
nissimæ domus acquiescit: Licet id quod in  
Romani imperii nomen hodiè transiit, tantum  
de magnitudine præcedentium seculorum re-  
miserit, ut cavillandi occasionem inde arri-  
puerint exteri, inter quos eminent *Jac. Horvæt*  
*de præcedentia. §. de Imperatore. & Boccalini Pietra del*  
*paragone politico num. 13.* Cæterum cum Roma-  
nam Rempublicam tantopere à bonorum  
exemplorum fertilitate commendet *Livius*, &  
ego à Parente aliquod studiorum meorum spe-  
cimen exhibere jussus, hinc potissimum futuræ  
dissertationi materia in selegi, & hisce paginis  
*M. Livii Drusi VITAM* pertexere statui, quam si  
non virtutum, at casuum varietate Lectori se  
adprobaturum confido, facilem mihi ab ejus  
æquanimitate veniam pollicitus, si aut errores  
aliqui scribenti obrepserint, aut pleraq; ve rudi-  
bus coloribus adumbrata obtulerero. Esto ita-  
que juvante DEO;

*Velle.*

MATERIA DISSERTATIONIS  
M. LIV. DRUSI DESCRIPTIO

*apud Vellejum l. 2. c. 13. 14.*

**D**Einde interjectis paucis annis, tribunatum iniit M. Livius Drusus, Vir nobilissimus, eloquentissimus, Sanctissimus, meliore in omnia ingenio animoqve, qvam fortuna usus. Qvi cum Senatui priscum restituere cuperet decus, & judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; ( qvippe eam potestatem nacti eqvites Gracchanis legibus, cum in multos clarissimos atque innocentissimos viros s̄avissent, tūm P. Rutilium, virum non seculi sui, sed omnis ævi optimum, interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu Civitatis damnaverant, in iis ipsis, qvæ pro senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium: non intelligentem, si qva de plebis commodis ab eo agerentur, veluti infescandæ illiciendæqve multitudinis causa fieri, ut minoribus perceptis majora permitteret. Denique ea fortuna Drusi fuit, ut malefacta Collegarum, qvam ejus optimè ab ipso cogitata, Senatus probaret magis; & honorem, qvi ab eo deferebatur, sperneret; injurias, qvæ ab aliis intendebantur, æqvō animō reciperet; & hujus summa gloriae invideret; illorum modicam ferret. Tum conversus Drusi animus, quando benè cœpta malè cedebant, ad dandam Civitatem Italæ. Qvod cum moliens revertisset è foro, immensa illa & incognita, qvæ eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domi suæ cultellô percussus, qui affixus lateri ejus relictus, intra paucas horas decessit. Sed cùm ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium mœrentiumqve frequentiam, effudit vocem convenientissimam conscientiæ suæ: Ecquando, inquit, propinqvi amiciqve, similem mei civem habebit respublica? Hunc finem clarissimus juvenis vitæ habuit. Cujus morum minimè omittatur argumentum. Cùm ædificaret domum in Palatio in eo loco, ubi est, qvæ qvondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statili Sisennæ est; promitteretqve ei Architectus, ita se eam ædificaturum, ut libera à conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset, neqve quisquam in eam despiciere posset; Tu verò, inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut quicquid agam, ab omnibus perspici possit.

B

CAP. I.



# CAP. I. SUMMARIUM.

Tria Romanorum nomina. §. 1. Cognomen. §. 4.

Prænomen Drusi. §. 2. Parentes. §. 5.

Nomen. §. 3.

**D**E tribus Romanorum nominibus cum jam egerit *Parens* meus disp. de *Cajo & Lucio* c. i. eò lectorem uberioris cupidum cognitionis remitto, in Drusi nomine evolvendo aliquantum adhuc temporis collocaturus.

§. 2.

Prænomen natus erat *Marsi*, quo in perpetuum interdictum erat Manliorum familiae. Cum enim M. Manlius Capitolinus, idem qui paulo ante imminens a Gallorum insidiis Reipublicæ Romanae exitium sua manu depulerat, præreptum sibi à M. Furio Camillo dolens honorem, quem suæ virtuti deberi credebat, perniciosa patriæ fovisset consilia: Senatus Populusque Romanus, qui prioribus meritis sequentia delicta compensare, noxium libertati credebat *Machiavell. discurs. l. 1. c. 24.* comprehensum Capitolio dejecit, & Manlia gens ad declarandam tanti facinoris detestationem, nomine eo suis interdixit, *Liv. l. 6. c. 20. Cic. Philipp. 1. & licet Marcum aliquem Manlium à Cimbris Teutonibusq; fusum adserat Tac. c. 34. de M. G.* depravatum tamen hunc locum contendit *Freinsheimus*, & ex epitome Liviana *Cnei* prænomen substituit.

§. 3.

Nomen ex familia, ad quam suam referebat originem desumtum erat. Nec erat quod pœniteret stirpis suæ nostrum, licet enim plebejis immixta esset familia, octo tamen consulatibus, duabus Censuris, dictatura etiam & magisterio equitum præfulgens, proprio non ascitio coruscabat splendore, omniaque non cœco Fortunæ favori sed propriæ debebat virtuti.

§. 4.

Cognomen Drusi ab occiso hostium duce Drauso sibi posterisque suis aptavit, quidam ex *Marsi* nostri majoribus. *Sueton. Tiber. c. 3.*

§. 5.



§. 5.

Explicato jam nomine restat, ut qvibus illud Marcus noster cum vita debuerit, breviter dicamus. Patrem nactus erat ejusdem nominis, qvi Scordiscos in Thracia devicit, deqve iis triumphavit. Nec pacis sane & civilium artium rudis, ut satis testatur, defensa egregie contra Gracchi molitiones causa Senatus, in cuius præmium Senatus patronus appellari meruit. *Sueton. l. c. Matrem vero Corneliam, qvam ab invicta animi magnitudine & in adversis constantia non perfunctorie commendat Seneca Consol. ad Marc. c. 16.* Cæterum absoluto jam penso, qvod huic Capiti consti-tueram, ad reliqua explicanda festinat oratio.

## CAP. II. SUMMARIUM.

Mixtura virtutum & vitiiorum. Ædilitas & pretura. §. 6.

§. 1.

Mos Romanorum à minoribus dignitatibus ad maiores transcen-dendi. §. 7.

Eloquentia Drusii, ejus vis &

efficacia. §. 2.

Drusi in ædilitate & questura super-bia. §. 8.

Reliqve ejus virtutes. §. 3.

Vitia. §. 4.

Adolescensia. §. 5.

§. I.

**C**um ad ipsam Drufi vitam delibandam nos ordo rerum deduxerit, qvædam de virtutibus ejus vitiisq; præfari pla-cuit. Et eminentiores quidem ejus virtutes, non levio-ra vicia abundè pensabant. Et sanè qvi vitas magnorum præte-riti ævi vitorum ad examen revocare instituat, admixtas semper vitiis virtutes reperiet, qvæ tamen ingenii nostri fragilitate excusare humanitatis est, & concedendum triste il-lud mortalitati privilegium, ut aliquando peccare liceat. Qvi uberiorem hujus materia cognitionem desiderat, adeat *Piccart. observ. dec. 1. c. 8. Rupert. ad Sal. Cat. c. 5. & pref. Disp. sub præsidio Parentis habite de Alexandro vitiis & virtutibus magno.* Nunc præcipuas Drufi nostri dotes simulqve vicia magis extantia recensebimus.

B 2

§. 2. Elo-

§. 5.

§. 2.

Eloquentiae ergo laudem omnes ei uno ore tribuunt, cui paranda impensam ab eo operam, nemo mirabitur, qui tantam ejus Romæ fuisse vim atque efficaciam perpendet, ut bona malaque non sua natura sed vocibus seditiosorum stimarentur. Nec solis hoc temere imputandum Romanis, sed omnibus ferè Rebus publicis, in quibus hoc genus hominum favore communi multitudinis alitur. *Liv. l.31. c.44.* Populus enim qui plerumque de summa rerum in ejusmodi Civitatibus statuere solet, ad externa fere orationis ornamenta in Consultationibus respicit, internæ bonitatis securus, cupideque amplectitur, quæcunque fatuo utilitatis aut gloriæ splendore se efferunt, & pertinaciter respuit, quicquid falsam timiditatis aut ignominiae speciem præfert. *Machiavell. Discurs. l.1. c.55.* Pueris haud multum absimiles, qui de medicamentorum sapore & bonitate ex deaurati, quo continentur, poluli fulgore judicant.

§. 3.

Cæterum ut ad Drusum nostrum redeam, vis ingens animi consilium par magnitudini animi & quantam vix ætas ejus capere poterat solertia, ingentes profecto dotes erant. Sed quas præterea laudes liberali manu spargit *Vellejus*, ex adulazione profectas erga Tiberium, qui per avum maternum huic familie insertus, reliquis gentis decoribus, principale fastigium quodammodo induxerat, haud absurde suspicari quis posset. Nam illud etiam, quod in morū ejus argumentum *Vellejus* trahit, cum Statilio Sisen næ domum à conspectu liberam promittenti respondit: Tu vero si quid artis in te est, ita compone domum meam, ut quicquid agam ab omnibus perspici poscit: insigni potius arrogantiae atque temeritati quam innocentiae morum tribuendum existimo, & quam decorum prætereuntibus spectaculum exhibitus fuerit, nescio, si tuos in depravando argento publico labores omnium oculis exposuisset.

§. 4.

Vitia, ad quæ nunc progressum facimus, cito pede transgreedi constitui, æquum ratus sua virtuti præconia adjicere, & vitia condonare humanitati. Et præ reliquis notatur intolerabilis li-

be-



cui pa-  
tam ejus  
nalaque  
Nec so-  
Rebus-  
i multi-  
de sum-  
rna tere  
æ boni-  
utilitatis  
, qvie-  
chiavell.  
medica-  
tur, po-  
  
mi, con-  
pere po-  
erea lau-  
tas erga  
is, reli-  
odo in-  
Etiam,  
io Sifén-  
Tu verò  
cquid a-  
iæ atqve  
imo , &  
s fuerit,  
nium o-  
ionab  
etiori  
transgre-  
& vitia  
rabilis li-  
be-

beræ Civitati superbia atqve ambitio, dum omnia Senatus popu-  
liq; munia in se trahere conatus, sibi qvidem imperium vindicat,  
relicta aliis obseqvii, aut si malis, assensu gloria. Unde coorta in e-  
um tam violenta tempestas, ut omnibus ejus conatibus discusis  
ipse tandem publicæ invidiæ victima caderet. Ingenium præter-  
ea vehemens, & in primo iracundiaæ æstu facile ad violentiam de-  
flectens. Qvin & *Seneca* seditiosi vocabulo eum compellare au-  
det, qvod tamen in medio relinqvere svadet varia Autorum opi-  
nio, qvi adeò in diversas hîc partes abeunt, ut qvilibet ex proprio  
ingenio, Drusi nostri animum effingere videatur.

### §. 5.

Sed nimirum jam ad ipsam Drusi vitam explicandam pro-  
grediendum nobis est, & ad primam ejus ætatem qvod attinet, al-  
lum de ea in scriptoribus silentium satis probaret, nihil à puerō  
peractum. qvod monumentis publicis consignandum & transmit-  
tendum esset ad posteritatis memoriam: Nisi *Seneca* errori succur-  
reret, referens pupillum adhuc & prætextatum forensibus se im-  
mischuisse negotiis, gratiamq; suam pro reis interposuisse tam effi-  
caciter ut qvædam iudicia ab eo rupta constet. Vereq; tandem  
execratum inquietam à primordiis vitam conquestum, uni sibi ne  
puero qvidem unquam ferias contigisse. *Seneca de brevitate vite.*  
*cap. 6.*

### §. 6.

Tandem ætatem rebus gerendis parem ingressus, qvo  
mature honoribus publicis initiaretur, ædilitatem & qvæ-  
sturam cooperante, ut credibile nominis paterni favore obti-  
nuit.

### §. 7.

Hæc enim sapientissima in Romana Republica vigebat  
consuetudo, ut à minoribus demum dignitatibus ad sublimiores  
Candidati transcenderent. Ne si per intempestivam Cognato-  
rum ambitionem supremis in Republica officiis ad moverentur  
homines ad splendorem tanti munieris condigne sustinendum in-  
epti, una cum ipsis sub onere universa civitas periclitaretur, ut  
qve adeò tamdiu rebus gerendis innutriti, aptiores essent ad su-  
prema tam togæ qvam sagi munera obtunda. v. *Amirat. l. 3. dis-*

B 3

*s. r. t.*

fert. c.3. *Boccalin.* in *Tac. A. l. l. c. 20.* Deinde ut majorem ob tot  
jam edita virtutis suæ specimina autoritatem minoremque sustine-  
rent invidiam, qvi enim per gradus evehuntur, minus ei subja-  
cent, qvam qvi per saltum. *Bacon. serm. fidel. c.9.* Unde in Repub-  
lica Veneta, qvam cuvis de Rebus publicis verba tacturo, vivi in-  
star Platonis aut Aristotelis habendam meritò censet *Boccalin.* in  
*Tac. A. l. 3.* nemo ad capessendum ducis honorem admittitur, qvi  
non in Praefectura Patavina, aliisque sublimibus officiis animi  
robur par huic fastigio sustinendo Senatui adprobaverit. Et hinc  
adparet non adeò levibus causis commotos M. Fulvium & M. Cu-  
rium Tribunos plebis opposuisse se T. Quintio Flaminino ex qvæ-  
stura ad Consulatum tendenti, oggerendo: Jam ædilitatem præ-  
turamque fastidiri, nec per honorum gradus documentum sui  
dantes, nobiles homines tendere ad Consulatum, sed transcen-  
dendo media summa imis continuare. *Liv. l. 3. c. 37.*

### §. 8.

Sed ad nostri vitam redeundum est, qvem qvæstorem paulo  
ante deseruimus. In hac ille dignitate constitutus, ne orientem  
qvidem fortunam satis moderate tulit, nedum ut ad ultimum  
magnitudinem ejus caperet. Jamqve erumpabant subinde signa  
intolerabilis istius superbiæ, qvæ ex in sequentis fortunæ benignita-  
te nova indies capiebat augmenta, donec auctori suo in exitium  
tandem verteret. Etenim nullis qvæsturæ insignibus uti voluit, ne  
qvid ipso esset insignius *Aurel. Victor. in vita.* ut nimirum plus ipse  
splendoris in officium hoc conferre qvam ab illo mutuari crede-  
retur. Exinde è qvæstura ad ædilitatem transgressus, adeò jam  
soli sibi arbitrium de rebus publicis statuendi deberi credebat,  
ut Q. Remmio in eodem cum ipso Magistratu constituto, qvædam  
de Republica suggestenti respondere ausus fuerit: *Quid tibi cum  
nostra Republica.* Sane cum reliqua qvæ in ædilitate & qvæstu-  
ra egit ad nos transmissa non sint, hæc tamen vesanæ ambitonis  
exempla digna credidere Scriptores, qvæ in perpetuum auctoris  
sui opprobrium ad posteritatis transirent memoriam.

## CAP. III.

### S U M M A R I U M.

*Drujus ad Tribunatum evehitur, §. 1.*

38-

Judicia Senatui restituere cona- Gracchus consensu Senatus op-  
tur. §. 2. primitur. §. 4.  
Ea C. Gracchis lege Senatus amise- Equestris ordo data potestate ab-  
rat. §. 3. nitur. §. 5.

§. 1.

**D**epositis hisce officiis ad majora jam Drusum vocabant fa-  
miliæ splendor favorque nominis paterni. Populi favo-  
rem anxie captaverat parens, Senatum asserta contra  
C. Gracchum dignitate sibi obstrinxerat, quid mirum si in filio ad  
tribunatus dignitatem evehendo Senatus favor cum populi con-  
spiraret suffragiis. Adeptus est ergo Tribunatum plebis, cuius  
præfulgens dignitas non mediocre ad majora suscipienda Druso  
erat incitamentum. §. 2.

Cernebat enim se vestigiis dignitatis paternæ insistentem  
ab omnibus ut imaginem ejus effigiemque adspici. Ne ergo spem  
de se conceptam destitueret circumspiciendum erat de mediis,  
qvibus autoritati, qvam à paterni nominis claritudine mutuatus  
erat, propriam qvoque adjiceret. Reipublicæ Romanæ statum  
consideranti, ut ad pristinum decus Senatui restituendum se con-  
verteret aptissimum visum est. Eo qvomodo amplissimus ordo  
exciderit anteqvam ad reliqua progrediamur præfari haud absur-  
dum videtur propositi operis regulæ.

§. 2.

C. Gracchus cum adversum conatibus suis Sena-  
tum cerneret, occiso fratri invisi ordinis miseriis parenta-  
turus, nova undique sibi contra eum conquisivit præsidia,  
cæterum fraterno jam exemplo admonitus, qvam periculo-  
sum foret populi favori inniti, si vires propriæ defint qvibus  
intra terminos fidei datæ coercentur, *Machiavell. del principe.*  
¶. 6. ab Eqvestri ordine sibi munimenta accersere statuit, qvem ut  
insigni beneficio obligatum haberet, iudicia a Senatoribus in  
Eqvites transcripsit. Qva lege effectum est, ut biceps ex unâ Res-  
publica fieret, *Flor. l. 3. c. 17.* inaniqve honoris nomine Senatui  
relichto, vis omnis atqve potestas Imperii transiret ad Eqvites.  
Qvod probe Gracchus agnovit, qvi hac lege perlata, exclamas-  
se fertur, aetum jam esse de Senatus potentia. *Appian. de bell. Ci-*  
*civil. l. 1.* Qvod haud vanum fuisse augurium, innumeræ turbæ  
qvæ

qvæ sequentibus temporibus exercuerunt Rempublicam satis declarant.

§. 4.

Cæterum pestilentissimæ huius legis latorem condignus anteacta vita exitus exceptit. Cum enim majora indies designaret, in apertam tandem seditionem prorumpere ausus ingenti totius Senatus consensu oppressus est, acerbissima in se Senatus odia, tepidumque in propulsando periculo equestris ordinis studium expertus. Ut suo quoque exemplo fidem adstrueret, in Reipublicæ mutatione omnes, qui ex priori Reipublicæ statu aliqua commoda percipiebant, in commune autoris odium conspirare, & reliquos ad quos ex praesenti Regiminis forma redundat utilitas, non nisi dubios se demonstrare amicos. Unde eveniat ut inimici, oblatam te obruendi occasionem avide semper arripiant, & amici lente admodum & frigide in te defendendo progrediantur, adeo quidem ut cum ipsis graviter pericliteris, *Machiavell. de l. princ. c. 6.* Qvod ad depravatam hominum naturam referendum, quæ proclivior longe est ad vicem injuriæ, quam beneficio exsolvendam, & gratiam oneri, ultiōnem in quæstu habet. *Tac. H. l. 4. 6. 3.*

§. 5.

Turbis & Seditionibus quæsitam potestatem in caput nobilissimi cuiusvis exercebant eqvites, ne communem regulam infringenter, quæ neminem imperium flagitio quæsum bonis artibus exercuisse affirmat. *Tac. H. l. 30.* Qibus permotus Drusus eo omne ingenium contulit, ut & pristinam civitati quietem, & suum Senatui restitueret splendorem, qvod qibus mediis aggressus fuerit in sequenti capite dispiciemus.

## CAP. IV.

### S U M M A R I U M.

*Drusus Equites delinire studet.*

*rium ad Senatum transferatur.*

§. 1.

*Iisq; Senatum supplet ut intestinis colliduntur discordiis, parsq; vi-*

§. 2.

*Ut novitos istos Senatores sibi obstrictos habeat. §. 3.*

In

In Republica recens oppressa opti- difficultibus & incertitudine  
matum aut Principis regimen aliqua. §. 5.  
instituendum, qui tibi dignita- Omnes industrias per impruden-  
tem debeat. §. 4. tiam evertit. §. 6.

Drusus consilium exequendum su- Q. Servilius Cæpio strenue ei re-  
scipit. Nullum consilium sine sistit. §. 7.

§. 1.

**N**ihil tam arduum Druso videbatur in peragendo proposi-  
to, quam ita permulcere Eqvites, ut transferendis judiciis  
ipsi assentirentur, qui si vires suas ferendæ legi opponerent,  
facile omnes adversariorum conatus eludebant. Ad præstringen-  
dos ergo animos hoc se remedium invenisse credebat. Cum va-  
riis casibus ita exhaustus esset Senatus, ut vix trecentorum nume-  
rum expleret, legem promulgavit, quam totidem ex eqvitibus Se-  
natorio ordini adjicerentur, ex quo dein deligerentur judices, qui  
populo Romano æquali & incorrupto tenore jus dicerent. Qvod  
Consilium quibus rationibus inductus ita formaverit, excutiemus.

§. 2.

Et qvidem Eqvitibus supplebat diminutum Senatus nume-  
merum, ut intestinis inter se colliderentur discordiis eqvestres  
familiae. Credibile enim erat præteritos exulcerato adversus ele-  
tos animo futuros, cum nemo, quem paulo ante pro pari agno-  
vit, in tantum ultra communem sortem evectum lubens adspici-  
at. Deinde magna pars virium eqvestri ordini detracta Senatui  
adjiciebatur, cum unusquisque potentia opibusve clarus, aut  
lingua manuve promptus in adversariorum castra transiret.

§. 3.

Præterea beneficij hujus gratiam haud obscurè aucupaba-  
tur Drusus, autorem legis se ferens. Ut ita novitos istos Sena-  
tores, qui veterum suffragia numero æquabant, tanquam sua potis-  
simum ope in amplissimum ordinem cooptatos obstrictos sibi ha-  
beret adq[ue] voluntatem suam compositos. Qvod medium jam  
ante tot saecula feliciter in usum deduxerat Tarquinius Priscus,  
qui non minus firandi regni quam augendæ Reipublicæ me-  
mor centum in patres legit, factionem haud dubie Regis, cuius  
beneficio in curiam venerant. Liv. l. 1. c. 35. Et ut ad recentio-

C

ra di-



ra digrediamur, ut in rebus humanis eadem fere exempla mutatis tantum personis recurrere solent, Urbanns VI. ut subsidia sibi adversus Antipapam Clementem, conquireret, viginti octo Cardinales simul ad Cardinalitiam dignitatem evexit Macchiavell. hist. Flor. l. 1. Cum antea sex tantum Hollandiæ urbes cum nobilitate de rebus publicis consulerent, Gvilielmus Arausioensis ad usque duodecim admisit, non dubiè fidas ei, cuius ope jus suffragii acceperant. Grotius Annal. Belg. l. 2. p. 56.

§. 4.

Ethinc fluere videtur præceptum illud, cum liberas Republicas oppressas facilius sub freno contineri quidam referunt, si optimatiū aut principis regimen in Reipublicæ locum substituatur. Forstner. ad Tac. l. 6. c. 42. Horum enim omnis potentia ita autoris sui fortunæ connexa est, ut hujus ruina alterius fundamenta convellat, adeoq; facile adparet, omnē eos moturos lapidem, ut & dignitati suæ & Patroni securitati prospiciant. Unde prudenter Istiæus, consentientibus reliquis, ut ponte interrupto Darius cui, dignitatem suam debebant, Scythico furori exponeretur trucidandus. Non idem ipsis, qui summas imperii tenerent, expedire, quod multitudini, respondit quod Darii regno ipsorum niteretur dominatio, quo extinto, ipsos potestate expulsos civibus suis pœnas daturos. Itaque adeo se abhorrere à cœterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius, quam confirmari regnum Persarum. Corn. Nepos. Miliad. c. 3. Licet hoc medium minus quam plerisque videatur securum, contendat Macchiavell. del princ. c. 5. Et hæc quidem ad executionem consilii suscepiti Drusum impellere poterant.

§. 5.

Sed nec deerat è contrario, quod ardorem istum restingveret. Facile enim non levem Senatus offensionem prospiciebat, tum quod dignitatem suam tot aliis communicatam vilescere existimaret, tum ob præoccupatam à Druso hujus beneficii gratiam, quibus tamen nihil motus experiri fortunam eiq; reliqua disponenda committere statuit. gnarus in rebus civilibus nullum occurrere consilium quod non aliquibus difficultatibus reperiatur expositum, Macchiavell. del princ. c. 21. & dei discorsi l. 1. c. 6. Guicciardini hist. l. 3. p. 266. Nec quidquam ineptius magnis negotiis,

gotiis, qvam illud hominum genus, qvod omnia, qvæ exurgere  
qveant pericula, anxie circumspiciendo, inanibus terriculamentis  
ab saluberrimis sæpe consiliis dimovetur. *Balzac. Aristip. Discours.* §

§. 6.

Sed omnem hactenus adhibitam prudentiam unicus error  
funditus evertit, dum legi ad irretiendos blanditiis Eqvitum ani-  
mos compositæ adjecit, cogendos ad causam dicendam de mu-  
nerum corruptela suspectos. Sane eadem propemodum hæc erat  
dementia, ac si qvis ex Gallorum proverbio strepentibus tympa-  
nis leporibus insidias struere velit. In vanum ergo cadebat hic  
Drusi conatus i:a induratis hac de causa eqvitum animis, *Appian.*  
*I. i. de Bell. Civ. l.* ut ad extrema rem deduci passuri potius forent.

§. 7.

Nec imparem Drusus adversarium nancisceretur in Q.  
Servilio Cæpione, qvi non leviori pertinacia causam Eqvitum af-  
serebat, privatis qvoque simultatibus impulsus, qvas ex annulo  
in auctione venali defluxisse refert. *Plin. hist. nat. l. 33. c. 1.* qvi ori-  
ginem socialis belli huc refert. Ut merito hic casus exemplis in-  
gentium tumultuum ex causis levioribus ortorum, adjungi queat,  
de qvibus vide qvæ eleganter disserit *Balzac. Aristippe disc. 3. p. 79.*  
Signa, aquilæ & vexilla utrimque aderant, cæterum sic in una ur-  
be, quasi binis in castris dissidebatur. *Florus. l. 3. c. 17.* Ut ergo no-  
va rebus suis subsidia conquireret Drusus duo potissimum per-  
agenda sibi desumfit, nimirum ut plebis & sociorum sibi devin-  
ciret obsequia, qvod, qvomodo aggressus fuerit, ad peculiare Caput  
rejiciemus.

CAP. V.  
SUMMARIUM.

plebis favorem largitione acquire- Exiles plerumq; prætexum beli  
re studet. §. 1. recepti præbent. §. 4.

Malis artibus opes querit, quai Præsertim si regiae stirpis. §. 5.  
postea elargiatur. §. 2. Tradere eos non solent principes,

Magulfum exulem Boccho' nefarie sed intum abicium eis præstare  
prodit. §. 3. §. 6.

C 2

§. 1.

§. 1.

**U**T ergo plebis favore adversus adversariorum insultus se tueretur, tam effusâ liberalitate usus est, ut ipse ingenuè professus sit, nemini se qvicqvam ad largiendum præter cœlum & cænum reliqvisse. *Florus l. 3. c. 17.* Non ignarus, hanc esse veram istam Magiam, qvæ perspicacissimos quoqve animos præstringat ac hebetet, cupiditatemqve reverentia & favoris aliorum, cum avaritia & sordibus conjunctam, ejusdem esse stoliditatis, ac si quis blasphemando cœleste regnum sibi recludere velit. *Boccalini Centur. 2. Relat. 14.*

§. 2.

CUM verò tantis sumtibus sustinendis impar esset patrimonium, qvod tamen initio tribunatus decem millibus argenti libris constabat *Plin. hist. nat. l. 33. c. 11.* ad alia remedia, qvæ non parum cum publica, qvam sustinebat, dignitate pugnabant, descendere coactus est. Nempe ut octavam partem æris argento admiseret *Plin. H. N. l. 33. c. 3.* Ut Adherbalem filium regis Numidarum obsidem domi supprimeret, occultam ejus redemtionem à patre sperans. *Aurel. Victor in vita.*

§. 3.

UT Magulfum Mauritaniae principem ob regis similitatem profugum, pecunia accepta Bocco proderet. *Idem.* Facinus, qvod omnium abominationem meruit, cum infenso regi ad lanienam objiceret supplicem, qvem bonis omnibus satis sua commendabat calamitas, qvod vitam publicæ luci patriæqve bono debitam precario vietu apud exterios sustentare coactus esset. Præsertim qvod ex privato hoc delicto ingens ad populum Romanum redundaret infamia. Sane pro exilibus ipsa illa, qva premuntur, vis fævientis fortunæ, tam efficaciter perorat, ut plerique principes licet haud ægre prospicerent trajecturum ad ipsos incendium, quo recepti modo supplices conflagraverant, ignominiosa tamen traditione ingruentia pericula redimere, in animum inducere nequiviverint.

§. 4.

PLERUMQUE enim exules recepti causam & prætextum bellū constituunt, quasi nefas sit esse aliquem in orbe locum, qvi patria ejectos in sinum recipiat, qvod tamen satis accurate refellit Perseus apud

apud *Liv. l.42 c.41.* Sic inter alias causas, quas bello Visigothis illato protendebat Clodoveus hæc quoq; refertur, quod exules hostesque Francorum receperissent. *Paul. Aemyl. hist. Francor. l.1.* Et Hungari infesto suo in Moravos animo prætendebant, fugam Andreæ, Belæ, Laventhæ qui sobrini Stephani Pannoniae Regis erant ægræ ferentes, quod à Moravis illi à fuga atq; exilio reciperentur. *Dubrav. hist. Bohem. l.7.*

### §. 5.

Præsertim si regiæ stirpi cognitione annexi sint. Unde Carolus VIII. cum arma in Franciscum ultimum Britanniæ ducem mota excusaret ut necessaria, & repellandæ tantum injuriæ sumta, inter alia, hæc quoq; firmandæ orationi adhibet. Exules à duce receptos non esse humiles aut calamitosos supplices, qui in Britanniam ad imploranda auxilia confugerint, sed tam eminentes viros, ut liquido pateret, consilia eorum non ad fortunarum propriorum præsidium, sed ad Regis fortunas infestandas & invadendas spectare, cum caput eorum esset Dux Aurelianensis primus regi sangvinis princeps & persona ab ipso rege secunda. *Fr. Bacon. in vita Henrici VII.* Cum enim cognati regum efficacissima turbandi status instrumenta esse soleant, adeo quidem ut hac ratione motus Carolus VIII. cum inani fastu inflatus adornaret scenicam illam in Constantinopolin expeditionem, Gemen Bajazetis tunc imperantis fratrem à Pontifice extorserit, quo faciliorem sibi viam ad conqvirendum illud regnum sterneret. *Guicciardin. hist. l.1.* Plerumq; ferè hinc dissidiorum semina in ter vicinos spargi solent, quasli limis ocuiis quietem alterius adspiciant.

### §. 6.

Hisce tamen non obstantibus, nunquam moratae gentes eo deduci potuere, ut semel receptos supplices inimicis traderent, quinimo si propriam salutem alienæ præferre communis ratio faveret, tutum saltem abitum præstitere. Exempla vide apud *Bacon. de vita Henrici VII. p.70. & p.103. Liv. l.42. c.41. Bellajum. Chron. Francisci l.1. p.7.* Cæterum redeamus nunc ad Drusum nostrum, quem conqvirendis undique opibus intentum reliquimus, quas vix receptas pertusi instar dolii ad alios transmitteret.

## CAP. VI. SUMMARIUM.

Coloniis plebem densereri studet. graves. §. 4.

§. 1.

Sociorum promissa Civitate redi-

Coloniae institute, ad continuandas mit suffragia. §. 5.

in officio gentes modo domitas. Promissi solutionem dilaturus in  
§. 2. publico concidit. §. 6.

Ad exonerandas egenis homini- Sanitati restitutus domi. §. 7.  
bus Civitates. §. 3. Alieno scelere cadit. §. 8.

Ad amoliendos Cives libertati

§. 1.

**S**ed cum singulos demererri nimis tardū videretur, ut uno velut  
momento universitatē sibi devinciret, annitendum erat. Tulit  
ergo legem de plebe in colonias mittenda, gnarus nihil tan-  
tam efficaciam habere ad demulcendos plebis animos.

§. 2.

Coloniæ tribus olim de causis institutæ erant in Rebuspubli-  
cis. Ut facilius in officio continerentur recens domitæ gentes.  
*Curt. 7.10.16. & 10.2.8. Macchiau. del. princ. c.3. & hist. Flor. l.2. princ.*

§. 3.

Deinde ut exonerarentur civitates egenis hominibus, quib⁹  
omnium scelerum impunitatem inopia promittit. *Boccalin. in Tac.*  
*& l.1. c.3. Amirat. dissert. l.17. c.6. Pufendorff. de leg. Sumtuar. §.12.*  
& commodius tolli nequeunt, qvam bello externo. *Boccalini Relat.*  
*Cent. I. c. 16. Lapid. Lyd. c. 27. Forstner. Hypomn. 6. Aut Coloniis*  
*Forstner. Hypomn. 6. Malvezz. Romuli. p. 58.*

§. 4.

Et ut honestiori nomine amolirentur cives ob potentiam li-  
bertatis graves. *Pufendorff. de obligat. erga patr. §.39.* Eo verò tem-  
pore Romæ pro hamo tantum erant ad incendiam plebem. Unde  
Drusus qvoq; noster insistebat vestigiis Gracchi, qvi ea via iter  
sibi ad populi favorem straverat.

§. 5.

Et qvo facilius eluctaretur difficultates, qvæ hic qvoq; sub-  
inde apparebant, sociorum redemit suffragia civitatem iis se da-

tu-

turum pollicitus, quam summopere desiderabant, quasi hac ratione rectores pro subditis futuri. Unde cum ferendarum legum dies adesset, tanta repente vis hominum apparuit, ut hostium adventu obsessa civitas videretur. Cumq; L. Philippus Consul infra dicto animo pertinaciter rogationi resisteret, apprehensum faucibus viator non ante dimisit, quam sangvis in os oculosque redundaret, quem noster luxuriam exprobrans muriam de turdis esse dicebat. *Aurel. Victor. in vita.*

§. 6.

Sic per vim latæ jussæque leges, sed premium rogationis statim flagitavere socii. Qvorum postulata ut differret, de fide exsolvenda sollicitus, facileque adversa Senatus populiique studia perspiciens, repente in publico concidit, sive morbo, comitiali, sive hausto caprino sanguine, ut invidiam dati Veneni, in Q. Servilium Cæpionem derivaret. *Plin l. 28. c. 9.* Semianimisq; domum relatus est.

§. 7.

Sed sanitati restitutum invenit mors, nescio an non in tali rerum statu optanda. Cum enim domi, quotidianos cœtus in obscuro porticu haberet, accidit, ut vesperi dimissurus multitudinem exclamaret repente, iactum se, simulq; in terram procideret, concursu trepidantium, ut in re inexpectata, facto, inventus est femori infixus culter futorius.

§. 8.

Dubitatum scribit *Seneca. de brev. vitæ. c. 6.* utrum sua manus ceciderit. Sed dubium removet, consensus omnium reliquorum ad alienum scelus mortem referentium, & *Cicero de natura Deor. l. 3.* percussoris nomen quoque exprimit, C. Varium hujus criminis reum substituens. Sic in Magistratu quoque suo periit Drusus, documento posteris futurus, coalitam temporis spatio potentiam convelli sine exitio convegentium haud posse.

## THEOREMATA.

Ea fortuna Drusifuit, ut malefacta Collegium, quam ejus optime ab ipso cogitata, Senatus probaret magis, & honorem qui ab eo de-

fe-



QKTH 397

ferebatur, speneret, injurias, qvæ ab aliis intendebantur, æqvo animo reciperet. Vell. II. 13.

Conversus est Drusi animus qvando bene cœpta malè cedebant. Id. II. 14.

Latinorum ut fortuna atrox, ita causa fuit justissima, petebant enim eam civitatem, cuius imperium armis tuebantur. Id. II. 15.

Qvis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut qvis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut qvando fortuna non mutat fidem? Id. II. 53

Libertas emigrandi & domicilium suum transferendi omnibus patet Jure Naturæ, moribus tamen nostris plerumqve oneribus quibusdam adstringi solet, qvandoq; si ratio Republicæ postulet, plane aliquibus interdici.

Potest qvis legatum agere apud principem cuius in territorio natus est, & si ita contigerit, omnibus Legati privilegiis gaudet.

Populi literarum rudes facilius reguntur, quam qui iis imbuti sunt.

Legati delicta solus Dominus ejus punire potest.

Generosa natio absolutam & sine exceptione potestatem Principi non solet committere.

Remota Justitia, regna non nisi magna latrocinia esse, recte Augustinus censet l. IV. de C. D. c. 4.

In tyrannos licere insurgere, periculosè statuitur.

S. D. G.

107A

